



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X

Augustinus, Aurelius

Coloniae, 1646

Cap XIII. Tertium memoriæ miraculum est, quod non solum actuum suorum meminerit, verum affectionum quoque & perturbationum animi, alio longe modo, quam quo afficiunt animum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10120

C A P. XIII.

Tertium memoria miraculum est, quod non solum actuum suorum meminerit, verum affectionum quoque & perturbationum animi alio longe modo, quam quo afficiunt animum.

1. **H**Æc omnia memoria teneo, & quomodo ea didicerim, memoria teneo. Multa etiam, quæ adversus hæc falsissime disputantur, audivi, & memoria teneo: quæ tametsi falsa sunt, tamen ea meminisse me non est falsum, & discrevisse me inter illa vera, & hæc falsa, quæ contra dicuntur. Et hoc memini. Aliterque nunc video discernere me ista, aliter autem memini sæpe me discrevisse, cum ea sæpe cogitarem. Ergo, & intellexisse me sapius ista memini, & quod nunc discerno & intelligo, recondo in memoria, ut postea me nunc intellexisse meminerim. Ergo & meminisse me memini, sicut postea quod hæc reminisci nunc potui, si recordabor, utique per vim memoriæ recordabor.

2. Affectiones quoque animi mei eadem memoria continet, non illo modo, quo eas habet ipse animus, cum patitur eas: sed alio multum diverso, sicut sese habet vis memoriæ. Nam & lætatum me fuisse reminiscor non lætus, & tristitiam meam præteritam, recordor non tristis. Et me aliquando timuisse, recolo sine timore, & pristinæ cupiditatis, sine cupiditate sum memor. Aliquando è contrario, tristitiam meam transactam lætus reminiscor, & tristis lætitiā meam.

C A P.